

surexit. Faris, amice, ter manum paratam ad munium, totidem ab eodem habuisse repulsam; quod si fas sit amico conceptum cordis exprimere, dicam equidem nec vana fide, id potius pretereundum, quam tuo fuisse scribendum eulogio. Nonne alma nox curarum est mater quietisve ac speculationis alumna? Cuius nunc si sufficientes methodos solida nec ficta ratione perspexeris, impedimenta simulata

10 que diseris cum onerosa edocto viro comparatione muliebri protinus ingemiscas. Nec inepta mortalium debes exempla colligere; quod si obstarent que continuo tuus calamus turbatus inscripsit, tota nimirum spoliata virtutibus naufragaretur hec moles. Sane non quid agatur, sed quid agendum debemus advertere. Frugalitatis tue laborem assiduitatemque quietis optate, urbane Vir, laudo, ast quod reproborum fugienda sorte, tua michi cara perplectatur industria profecto fero moleste. Nequaquam enim fatum aliquod vel necessitas in hac licet fragili vita nos angunt. Liberum habemus arbitrium, si ad intellectum adducimus fantasias; nec obstat pravis-

20 simus eorum error satagentium, hic a Saturno, ille a Jove, hic a Mercurio regamur astricti, cum unumquodque quod regitur regatur beneficio rationis eius a quo regitur. In eisdem non ratio, non intellectus, non sensus inest. Et si necessitas auferret arbitrium, precaret nemo, sed pareret; quo predictorum opinio, tuaque simul negatur erronea. Teneritate meliorum temporum recordatus tecum fabello, et dulciter velut mecum, nec immerito. Invenies namque nil iocundius, nil maius quam habere in quo calamitas acquiescat.

Erige itaque, mi Paule, et ad paucos virtute redimitos intende, quos, ni misera caro te teneat, non solum reperies, ymo ipsorum

30 glorie participatione letaberis. Nec est adeo difficile ceu fabella tua explicare videris. Aneum nostrum legito, et non in cassum accipies quod nulli preclusa sit virtus, omnibus patet, omnes invitat, censum non eligit, nudo homine contenta est. Sicque libuit, amice, sine longiori dicendi prelatione concludere; cum nunquam, ni fallor, turbam erroribus et confusione carentem poteris reperire, memora, queso, que maiores nostri pangebant antiquitus in exemplum. Ait Maro: Pauci quos equus amavit Iupiter, et ardens evexit ad ethera virtus. Aen. VI, 129.

Et alibi: Et pauci leti arva tenemus. Horum te hortor imitari ve- Aen. VI, 744.

⁹ *cod.* solita.¹⁸ *hoc cod.*³⁰ *cod.* gl'a.